





2472.

1676, 15

DISPUTATIO POLITICA
De
FOEDERIBUS
CUM INFIDELIBUS,

Quam
ANNUENTE
DEO SUPREMO FOEDERUM AUCTORE.
INDULGENTE

AMPLISS. FACULT. PHILOSOPH.

Publicæ, sed placidæ eruditorum
disquisitioni subjiciet

321

IN ACADEMIA LIPSIENSI

Bigæ Fratrum Germanorum

PRÆSES

M. POLYCARPUS LYSERUS,

RESPONDENS

FRIDERICUS GVILIELMUS LYSERUS,

Halâ Saxones.

ad d. XI. Octobris Anno M DC LXXVI.

H. L. C.

L I P S I Æ,
Typis Viduæ JOH. WITTIGAU.



VIRIS

MAXIME REVERENDIS, NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS
CONSULTISSIMO atq; EXCELLENTISSIMIS

DN. SEBASTIANO GOEBELIO,
THEOLOGO CONSUMMATISSIMO, COE-
NOBII IMPERIALIS BERGENSIS PROPE MAG-
DEBURGUM ABBATI SPECTATISSIMO,

DN. SAMUELI CLOSIO, PHI-
LOLOGO FAMIGERATISSIMO, MAGDEBUR-
GENSIS AD B. VIRGINIS MONASTERII PRÆ-
POSITO GRAVISSIMO,

DN. GEORGIO à SCHOEBEL,
ET ROSENFELD, SACR. CÆS. MAJ.
CONSILIARIO, ECCLESiarUM COLLEGIA-
TARUM SS. SEBASTIANI ET PETRI PAULI
CANONICO ET IN ILLUSTRIS CARPOPHO-
RORUM COLLEGIO URANOPHRONI, UN-
DIQVAQVE MERITISSIMO,


DOMINIS, PATRONIS & FAUTO-
RIBUS SUIS OMNI OBSERVANTIÆ
CULTU DEMERENDIS, DEVE-
NERANDIS,

Specimen hoc Academicum, Humilitatis, Obser-
vantia atqve Pietatis signaculum, in sui studio-
rumqve suorum commendationem ulteriorem

*Vitam longævam cum uberrimis divina cle-
mentia incrementis apprecantes*

Sacrum cupiunt

AUCTOR & RESPONDENS.



עדרו בשם יהוה

PR O O E M I U M.



327


Agna sanè in Republica fœde-
rum est necessitas, nec minor utilitas. Sunt
namqve fœdera arietes, qvibus pravæ actio-
nes, consilia callida & netarii adversariorum
improbiorum conatus destruuntur; sunt
columnæ, qvibus labascens stabilitur Res-
publica & conservatur; sunt scuta, qvæ ho-
stium tela excipere qveunt, incurfusqve eo-
rum propellere; sunt remedia, qvæ laboranti adhibita Reipublicæ
pristinam reddere qveunt incolumitatem; sunt indissolubile vin-
culum, sine qvo dilaceratur facile, qvicutqve societate naturali est con-
glutinatum. Sed qvàm utile, qvàm necessarium est inire fœdera,
tàm ex adverso difficile est, determinare, qvæ & cum qvibus pange-
re ea sit licitum. Præsertim verò an & qvæ fœdera cum infidelibus
contrahere liceat, non una omnium est opinio. Tantæ enim passim
occurrunt dissensiones, tamqve pugnancia judicia, ut, qvæ præfe-
renda, difficulter judicari possit. Affirmantem tamen hac vice de-
fendendam sumam, & qvantum in mea situm erit imbecillitate, ean-
dem pertractabo. Magnum, fateor, est, qvod conor; difficile, qvod
polliceor. Imò parum abest, qv in accisam nimis & curtam ingenii
intuens supellectilem optem, ut onere hõc suscepto levare qveam. Sed
vincit expectationem hanc insignis materiæ utilitas & præstantia.
Qvid enim pulcrum, qvod non & sit arduum? Difficilia profectò,
qvæ pulcra. Nec minus redanimat me benignitas vestra admiran-
da, qvæ multoties hætenus in arenam descendentibus disputatori-
am fuit solatio. Qvâ & ego in præsens erectus effore confido, ut,
si qvæ

si quædam de intricata hac & uberrima materia parùm plana propo-
posuero, ejusq̄ve sublimitatem sublimi non exæqvavero stylo, veni-
am facilè sim impetraturus. Antea verò quàm rem aggrediar ipsam,
Deum Ter O.M. calidis pro felici successu deveneror suspiriis.

CAP. I.

De vocabulorum Definitione nominali.

§. 1.

ix absq̄ve inutili λογωμαχία ullum thema tractari pote-
rit, nisi, in vocabulis quicquid latet difficultatis, ante
omnia eruatur. Multum etenim momenti affert ad cu-
ratius res cognoscendas explorata nominum significa-
tio, cum verba sint notæ eorum, quæ animo concipiun-
tur, teste Philosopho. Neq̄ve enim rectè definiri res, neq̄ve signi-
ficata poterunt distingvi, si termini negligantur potiores. Quod si
& in præsentî themate, ut par est, attendi debeat, sciendum, duo de-
prehendi in eo vocabula, quæ, nisi prius explicata fuerint, scrupu-
lum aliquem lectori movere posse videantur.

§. 2.

Prius est *fædus*, cui cum tanquam fundamento tota disputatio
nostra innitatur, ejus tam *ὀνοματολογία* quàm *πραγματολογία*,
(quam posteriorem tamen ad proximum reservabimus caput,) probè
erit attendenda.

§. 3.

In *ὀνοματολογία* *fæderis* spectanda erit *Etymologia*, *Homony-
mia* & *Synonymia*.

§. 4.

Etymon vocis *fæderis* à Grammaticis variè constituitur. Alii
derivant eam à verbo *ferio*, hâc fortè nixi ratione, quia pax feritur
inter dimicantes, vel quia olim in pangendis fœderibus victima
aliq̄va maçtari, vel quod eodem recidit, feriri solebat. *Wilh. Zepp.
de LL. Mos. lib. IV. c. 6.* Alii vocem hanc deducunt à *fecialibus*, quip-
pe quibus præter alia, quæ obibant, munera, hoc præsertim negotii
dabatur, ut fœdera cum exteris solenni ritu sancirent populis. *Alex.
ab Alex. D. Gen. lib. I. c. XIV. f. m. 22. a. & I. V. c. III. f. m. 251. b.* Alii dicunt
eam

eam existimant ab *hædo*, additâ litera f. quia, ut Sextus Pompejus scribit, in fœdere paciscendo hostia necabatur. *Isidor. lib. X. Etymol.* Alii à *fædo*, id est sanguine. *Buchn. Lex. in voce fædus.* Vel à porca aut alia victima *fæde* & crudeliter occisa, referente eodem *Isid. c. 18.* Quâ etymologia ad priscum respicitur ritum, in icendis adhibitum fœderibus, cujus non secus in profanis Scriptoribus ac ipso sacro codice vestigia extant. Meminit enim ejus *Virgilius lib. IX. Æneid.*

— — — *Et cæsa jungebant fœdera porcâ.*

Idem testatur *Liv. Dec. I. lib. I.* singularem adjungens juramenti formulam à feziali inter paciscendum recitatam. Eodem quoque respicere videntur loca scripturæ *Gen. XV. 9. 10. Jer. XXXIV. 18. 19.* Ex quibus *Tarnov. in tract. de quest.* An & quæ fœdera cum infidelibus inire liceat? colligit, *olim in V. T. fœdera sancientes solitos esse carnes mactatorum animalium dissecare, inter frustra illa transire, hoc transitu significaturos, se ita non immeritò laceratum aut dissectum iri, si fidem datam frangant.* Alii & quidem plerique derivant eam à *fide*. Hanc approbant *Bodin. l. V. c. 6. de Republ. in princ.* (addens, quod & *fidus* ab Ennio dictum fuisse Varro notaverit.) *Melancht. Comm. ad Malach. p. 564. Gucciard. l. I. hist. Ehrenb. lib. I. Medit. am. pro fœd. c. III. n. 8. Sc. Besold. Dissert. de fœd. jure cap. II. §. 1. Gveintz. Disp. de fœd. & alii.* Nec id immeritò. Nam sicuti in omnibus contractibus, maxime bonæ fidei, sincera, bona atque integra fides requiritur *Heig. l. 9. 34.* ita à fœderibus præsertim mala fides longe abesse debet. Hinc Græci Veteres formulâ hac uti siveverunt *ἀνευ δόλου καὶ ἀπάτης* *Herod l. I. & IIX. Hist.* Latini *sine dolo malo Liv. lib. I. Dec. I.* Quos Germani nostri secuti fœdera sua his plerumque finire solent verbis: *Ohne Argelist und Gesehrde* Vel: *Alles getreulich und ungesährlich.* Hinc quoque Romani solenne fidei sacrarium instituerunt, ubi fœdera jurejurando firmarentur. *Liv. l. I. & XXIV. Ehrenb. cit. tract. §. 5.*

De etymo fœderis si tandem, quod res est, dicendum erit, negari non potest, prænantem maximè & firmisimam postremam esse derivationem. Sed relinquenda nunc erit etymologia hujus vocabuli, & ad homonymiam ejusdem nullâ morâ procedendum. Esse autem hanc vocem *ἐκ τῶν πολλὰχῶς λεγομένων* quis ibit inficias? Impropiè enim admodum sumitur pro *fœditate seu scelere* apud Paul

in l. 3. D. de ritu nupt. Nec enim honos servatur ei, quæ se in tantum
fœdus deduxit. Nisi rectius forte ibi legatur scelus, ut vulgati codi-
ces habent. Pro lege sive certa præscripta regula à Virg. l. I. Æneid.

— — Regemq; dedit, qui fœdere certo

Et premere & laxas sciret dare jussus habenas.

Pro fœdere hominum cum bestiis Hof. II. Magis proprie autē notat nunc
fœdus divinum, quod Deus cum hominibus pangit, idq; tam uni-
versale, & totum genus humanū concernens, quàm particulare, & cum
certis tantum populis, familiis, vel personis initum, de quibus Re-
verendiss. Gœbel. Disp. Inaug. de pactis & fœd. Dei cum hom. & Rivet.
Comm. in Hof. c. II. p. m. 88. seqq.; nunc Diabolicum, quod Diabo-
lus cum hominibus nonnullis pangit, de quo Weierus de prestig.
Dem. Bodin. de Demon. lib. II. c. 4. Gœdelm. de Lamis, Binsfelt in
Tract. de venef. & alii; nunc humanum, quod nim. homines inter
se invicem contrahunt. Quod vicissim est vel publicum vel priva-
tum. Privatum est societas inter privatas contracta personas. Qua-
le est inter amicos, unde Ovid. lib. III. Trist. Eleg. 6. amicitiam Fœ-
dus amicitiae, appellat; inter propinquos, naturale Jctis dictum,
inter maritum & uxorem, quod sacrum fœdus Curt. lib. X. c. III. n. 12.
appellat & Lucanus

— — — — — fœdera lecti.

inter collegas liciti collegii & alia plura, quæ quidem fœderis no-
men apud scriptores habent, legitima tamen fœdera non sunt.
Ebrenb. lib. II. c. l. n. 34. Tholof. de Republ. lib. XI. c. 11. n. 105. Besold. cit.
disert: Publicum fœdus est, quod pangitur à personis vel Rebus-
publicis, penes quas sunt jura majestatis, aut superioritatis
territorialis. (Nam & Imperii Germanici Status singuli jus fœde-
ra ineundi habent, nec Majestatis tamen propriè loquendo, sed su-
perioritatis territorialis jura obtinent) de re mutuò sibi præstanda.
De quo hîc loci nobis sermo est, quodq; κατ' ἐξοχήν & propriè fœ-
deris nomen sibi vendicat.

§. 6.
Restat, quod ad ὀνοματολογία fœderis attinet, spectanda
synonymia. Sunt autem, vel, ut verius dicam, vulgo pro Syno-
nymis venditantur, non pauca; ut confœderatio, pactum, pactio,
conventio, obligatio, unio, confraternitas, Liga, contractus, aliaqve.

Hebræis



Hebræis dicitur כְּרִית qvæ vox, qvod agnoscat etymon, idiomatis sacri gnaris non adeò est in confesso. Ut taceam nunc Grammaticorum derivationes ab inusitata radice כָּרַר vel à verbo כָּרַר declaravit, aut etiam à כָּרַח qvod in conjug. Pihel כָּרַח tam succissionis qvàm selectionis significatum admittit; pleriqve doctiorum in eo consentiunt, כְּרִית derivari à כָּרַח qvemadmodum fortè שְׂבִית à שָׁבַח. Sed cum verbum כָּרַח duo potiora habeat significata, tum comedendi Ezech. XXIII. 47. tum eligendi, 1. Sam. XVII. 8. qvæ etymologia ratio hoc in vocabulo sit prægnantior, controversatur. Alii præferunt priorem, qvia in fœderibus cædebantur non solum, verum etiam edebantur victimæ. Tarnov. cit. tract. Alii posteriorem, cum כְּרִית non tantum sit res, qvam duo vel plures eligunt, verum etiam, ubi pangi debeat fœdus, personæ, conditiones, aliaqve fœderis requisita eligi & determinari soleant. Gæbel. cit. Disp. Riv. in Hof. c. II. Chaldæis vocatur קִימ qvæ vox non tantum fœdus, sed & juramentum denotat, ad indicandum fortassis, qvè firmum ac constans servari debere fœdus, atqve juramentum. Germani appellant Bund/ Bündniß/ Verbündniß/ Vereinigung/ ad innuendam colligationem atqve conjunctionem arctissimam, qvâ personæ fœdus pangentes sibimet invicem devinciuntur.

§. 7.

Sed vix operæ pretium sim facturus, si diutius scrutando huic inhæream vocabulo. Pertinacibus potius Grammaticis hanc committens litem recto progredior ordine ad alteram thematis nostri vocabulam infideles. Hæc autem considerari poterit bifariam, prout nempe vox fidei vel in Theologia, vel in Politica spectatur. Politicè si spectetur, infideles erunt omnes illi, qvi fidem in re aliqua datam alteri frangunt. Hujusmodi infidelibus accensendi suo merito erunt & ii, qvi fœdera cum sociis inita violant, conditionesqve oblatas non servant. Theologicè verò spectata Vox infidelium dicit non tantum illos, qvi planè veri Dei sunt ignari, & omninò extra Ecclesiam, quorum in numero sunt Turcæ, Tartari, Indi, Americani aliiqve à nonnullis ad differentiam hæreticorum profani, pagani, gentiles dicti, sed & eos, qvi verbum quidem Dei & Sacramenta, qvæ media sunt consequendæ salutis æternæ, habent, sed suo vitio non pura, quando præfractè & pertinaciter illius verum corrumpunt sensum, horum verò legiti-

legitimum per omnia non retinent usum. Tales sunt Pontificii, Calviniani, Arminiani, Photiniani, omnesque aliae Sectae Christianum profitentes nomen. Uno verbo omnes strictè dicti *haeretici*. In themate nostro sermo nequaquam est de Politicè infidelibus (cum his enim foedus pangere licitum esse quis negabit? periculosum quamvis sit, & magna opus sit cautela) sed de infidelibus Theologicè, iisque tam paganis, quam abusivè dictis Christianis.

CAP. II.

De Definitione & Divisione foederis reali.

§. I.

Spektata nunc foederis *ὀνοματολογία* recto progredimur ordine ad Vocis ejusdem *πραγματολογία*. Sed cum res nulla cognosci queat melius, nisi natura ejus brevibus & aptis explicata fuerit verbis praemittenda erit *definitio*. Quae quam variè à variis constituatur auctoribus, prolixè recenset *Ehrenb. l. II. c. 1.*

§. 2.

Nobis ex omnibus aliis placet haec definitio: *Foedus est conventio publica duorum vel plurium Principum aut Rerumpublicarum, de auxiliis aut consimili re sibi mutuo prestanda.* Quae definitio, cum adeò sit perspicua, ut probatione ulteriore non indigeat, nihil est, quod uberius declarandae illi multum operemur. Unicam vocem *publica*, cur nimirum foedus conventio dicatur publica, brevibus dilucidabo. Dicitur autem ita 1. *ratione subjecti*, quod sunt & debent esse personae tales, quae jura habent Majestatis aut superioritatis territorialis; (non enim excluduntur civitates statusque imperii, quibus Imperiali dignitate diminuta amplissima privilegia & jura Majestatis sunt concessa, *Ehrenb. l. II. n. 34. § 35. c. I. Besold. cit. dissert. c. III.*) 2. *ratione objecti*, quia est conventio non de rebus privatis, sed publicis, quae totum aliquod imperium aut civitatem concernunt. 3. *ratione finis*, quia foedus semper intendit, vel minimum intendere debet utilitatem publicam. Pangitur enim vel ad repellendam vim, vel ad rem communem aut injuriam ab hoste illatam vindicandam, vel ad defendendam religionem, vel ad libertatem tuendam, vel ad pacem publicam conservandam, aut quicumque demum fines esse possunt
Prin-

Principem aut Rempubicam ad fœdus ineundum impel-
lentes.

§. 3.

Adjiciendæ nunc paucis fœderum *divisiones*, quæ tot tantæque
sunt, ut, si cunctas longo enumerare velim ordine, justos disputatio-
nis limites transgressus non immeritò videri queam. Menippus a-
pud Livium lib. 34. Annalium tria constituit fœderum genera 1. *vi-*
ctorum & vincentium. 2. *recedentium* sponte à bello æquo fœdere.
3. *amicitiæ* contrahendæ inter non hostes. Proculus Jctus duo con-
stituit genera, unum *æquum* amicitiæ causa factum, alterum *iniquum*,
cùm pactio fit, ut is populus alterius populi potestatem comiter tuea-
tur, in quo posteriori subjectionis aliquid & deditiois deprehen-
ditur.

§. 4.

Nos missis his aliisque minùs necessariis distinctionibus & ad
homonymiam fœderis rejectis, dispescimus cum aliis iisque majoris
auctoritatis Politicis fœdus *in reale & personale.* *Reale* dicitur illud,
quod, cùm perpetuum sit, renovatione nulla habet opus. *Personale*
est, quod ad certum tantum tempus durat, vel cum contrahentibus
esse definit. *Cellar. Tab. Polit. XII. sub fin.* Observandum tamen
circa hanc distinctionem, non paucos esse tum Politicos, tum etiam
Jctos, qui per hoc ipsum fœdus propriè & strictè dictum à pactio-
ne distingunt, quod fœdus non ad tempus sed in perpetuum firmetur,
& hâc ratione nullum admittunt fœdus personale. *Tholos. lib. XI. de*
Republ. c. XI. §. 3. Bodin. de Repub. lib. V. c. VI. in princ. A quibus con-
trarium statuit *Osiand. in Grot. lib. II. c. XVI. Th. XVI.* dicens, omnia
fœdera videri esse *personalia.* Nos, cùm distinctio hæc nihil planè
ad nostrum faciat institutum, utra sententia præferenda, non diu
controvertemus, sed commodiori, si aliquando contigerit, occasione
reservabimus.

§. 5.

Ratione conditionum, sub quibus fœdera contrahuntur,
est vel simplex, vel mixtum. Simplex fœdus iterum est vel
defensionis vel *commerciorum tantum.* *Defensionis* fœdus est, quod
contrahitur propter mutua auxilia præstanda. Et cum mutuo-
rum hujusmodi auxiliorum duplex esse possit finis, fœdus hoc *defen-*
B *sivum*

svum iterum duplex constituitur. Vel enim est defensivum tantum, quod initur propter mutua auxilia præstanda socio ad defensionem, non item ad offensionem. Vel est defensivum & offensivum simul, quò promittimus non tantum arcere, sed etiam inferre bellum hosti, si socius id efflagitet. *Fœdus commerciorum tantum* est, quod ultrò citroque sine impedimento negotiationes admittit. *Mixtum fœdus* vel quod negotiationis & defensionis simul dicitur, est illud, quod non tantum defensionem mutuan promittit, sed etiam negotiationes ultrò citroque admittit. *Besold. Dissert. de fœd. 7. c. V. §. 1. Keckerm. l. Polit. C. XXIV. Gveintz. Dissert. Polit. de fœder.* Fœdus porrò ratione conditionum, sub quibus iniri solet, potest esse vel *religionis tantum*, vel *Politicum tantum*, vel *mixtum*. Fœdus *religionis tantum* est, quod solam religionem, & quæ ad eam pertinent, concernit, eorumque intuitu pangitur. *Politicum tantum* est, quod tantum pacem publicam externam respicit, nec ullum respectum ad religionem aut Ecclesiastica importat. Quale fœdus est commerciorum, fœdus defensivum de re repetenda & aliis causis merè politicis initur. *Mixtum fœdus* est, quod partim religionem & res sacras, partim imperium & res politicas simul respicit, eorumque assertionem & libertatem utrinque concernit.

§. 6.

Ratione formæ fœdus Politicis distingvitur in *æquale* & *inæquale*. *Æquale* est, cum una pars ab altera confœderata expectat, quantum se ei præstaturam promittit. *Vel:* quod ad æqualia proportionabiliter obligat. *Inæquale* est, cum non tantum, quantum ab una parte promissum est, ab altera expectatur. *Vel:* quod ad inæqualia proportionabiliter obligat. *Keckerm. Besold. Gveintz. II. cc.*

§. 7.

Ratione finis distingvi solet fœdus in fœdus *pacis* sive *mutue securitatis*, & *bellicum* seu, ut supra nominavimus, *defensivum*. Fœdus *mutue securitatis* est, quò alter alteri securitatem promittit, & se invicem non offensuros obligant. Tale fœdus *Grotio lib. II. c. XV. §. 9.* dicitur *beneficium*: Alii appellant fœdus *de non offendendo se invicem, pacificationis, finium regundorum, seu de observandis & non turbandis finibus.* *Reink. Bibl. Polit. l. II. Axiom. 204.* Notatur tamen à *Besoldo*

à Besoldo Dissert. cit. quòd ejusmodi pacificationes à fœderibus distingvantur, ac sub genere publicæ conventionis tanquam species contradistinctæ comprehendantur, cùm pacificationis finis tantummodò sit, ut alter alterum paciscentium non offendat, nec aliud quàm pacem præstet, fœdera v. strictè dicta mutuum auxilium aut aliud hujusmodi promittant. Addit quoque laud. Besold. rectius talem pacificationem pactionem, quàm fœdus nuncupari. Hunc si fuerimus secuti, dicendum erit, distinctionem hanc potius ad evolutionem homonymiæ vocis fœderis, quàm divisiones rei pertinere. Fœdus *bellicum* quid & quotuplex sit, supra §. 5. diximus.

§. 8.

Ratione personarum contrahentium potest fœdus iniri vel cum *fidelibus*, vel cum *infidelibus*. *Infideles* iterum sunt vel manifestè impii, blasphemæ, idololatræ, aliique, qui omninò extra finem Ecclesiæ positi sunt; vel hæretici, qui nomen quidem suum inter Christianos profitentur, non tamen veram Christiano dignam fidem habent, sed multos ei admixtos errores fundamentales, quos præfractè defendere conantur. Et hæc fœdera cum infidelibus possunt vicissim pangi vel *contra fideles*, vel *contra infideles* alios.

§. 9.

Ratione causæ impulsivæ fœdus potest iniri vel *ex necessitate*, vel *ad salutem Reipubl.* conservandam, vel *ex cupidine plura habendi*, vel *vindictæ & ultionis ergo*, vel alia quacunque levi de causa. Fœdus *ex necessitate* initum est, quod sponte quidem & voluntate sibi prorsus relicta inire non licet, urgente tamen necessitate nec aliâ evadendi occasione monstratâ pangi poterit.

§. 10.

Notandum quoque adhuc, quod primo loco ponendum erat, fœdus cum infidelibus spectari potest vel *absolutè*, vel *ratione adjunctæ qualitatis*, v. g. adherentis confœderatorum animis perversæ opinionis, diffidentia erga Deum, fiducia in auxilio humano collocatâ, & aliarum.

§. 11.

Reliquas fœderum distinctiones, cùm parum ad nostram faciunt institutum, prætereo. Eas qui petierit, consulat *Keckerm. I. Polit.*

B 2

*Polit. Besold. cit. Dissert. Ehbrenb. part. I. c. IV. per totum. Sam. Puffend.
Elem. Jurisp. Univ. l. I. Defini XII. §. 51. seqq. p. m. 227. seqq.*

CAP. III.

De quaestione: An foedus cum infidelibus inire liceat?

§. I.

Sed satis jam explicandis inhaeremus vocabulis & distinctionibus foederum. Res tandem ipsa erit aggredienda. Ubi melioris servandi ordinis ergo binas proposituri sumus quaestiones. Prior dicet: *An foedus cum infidelibus inire liceat?* Posterior: *Quae & cum quibus infidelibus licite foedera contrahantur.*

§. 2.

Priorem hoc capite decidendam sumemus: alteram sequenti reservabimus.

§. 3.

Antequam verò ad eam nos accingamus, certi sumus necesse erit, foedera in genere & absolute spectata, non considerando personas contrahentes aut conditiones vel pangendi modum, esse concessa. Hoc enim nisi prius indubitatis probaverimus ratiociniis, inutilis omninò & superflua proposita erit quaestio. Nam quicquid removetur à genere, idem etiam removetur à specie, regula Philosophorum est tritissima. Quare nobis non immeritò ante omnia probandum aut praesupponendum certè erit, licere omninò foedera pangere, aliàs de veritate quaestionis nunquam certò constare poterit.

§. 4.

Foedera autem in se & absolute spectata, si legitime contrahantur, omni quoniam iure licita sunt, nihil est quod dubitemus. Et iure quidem divino permessa ea esse, Theologi non superiorum tantum, sed & nostri, in quod incidere datum est, seculi, ex scripturis evincunt sacris, quippe quae permulta continet exempla foederum, tam à Patriarchis, quam aliis, de quorum pietate indubitato satis constat, initorum, quae longa enarrat serie *Warem. de Ehbrenb. part. I. p. 127. seqq.* Haec autem foedera DEO non displicuisse, vel inde probare sufficiat, quod foedifragis gravissimas non minatus sit tantum, sed & inflixerit poenas.

nas. Exemplo esse poterunt Saulis posterī, in quibus Deus acerri-
mè vindicavit intempestivum Saulis pro Israele zelum, quò motus
Gibeonitas Israëlitarum socios percutere tentaverat. *2. Sam. XXI, 1.*
seqq. Nec minus *jure nature* fœdera probantur. Huic enim con-
fentaneum est, copulare amicitiam. *Arist. IV. Eth.* Hinc ab eodem
homo dicitur esse naturā animal sociabile, ζῷον πολιτικόν. *1. Pol. 2.*
Inter has autem non postremò certè collocandum locò fœdus, quip-
pe quod arctissima animorum conjunctio, conglutinatio atque so-
cietas est, quā vix ulla commodior existere poterit & firmior. *Carpz.*
de L. R. Germ. c. VI. Sect. 1. n. 7. Si enim solus hostibus tuis resistere, vi-
tam commodè transigere, injustam vim repellere, aliosque fines ad
vitam civilem necessarios obtinere non sufficis, aliorum opem atque
societatem implores tuaque & salutem tuam aliorum credas fidei ne-
cesse est. De *gentium jure* nihil quoque est, quod scrupulum nobis
movere possit. Evolvamus saltim omnium seculorum historiam,
perpetuum certè & constantem fœderum usum in imperiis rebusque
fuisse publicis reperiemus. Extiterunt namque fœdera, si antiqui-
tatem spectes, una cum Rebus publicis. *Pregitzer. Disp. de fœderibus.*
Comprobant idem varii ritus, variis gentibus in pangendis fœderi-
bus adhiberi soliti, de quibus, qui plura nosse desideraverit, evolvat
Alex. ab Alex. D. Gen. lib. V. c. III. Reink. de Regim. Secul. & Eccles. l. III.
Class. III. c. III. n. 78. & seqq. Livium passim in hist. Rom. Warem. Part. I.
Meditam, pro fœd. c. III. n. 20. seqq. Schönborn. Polit. lib. IV. c. XXXV. p.
m. 477. seqq. Osiander Comment. in Grot. de J. B. & P. l. II. c. 13. Th. 10. Pre-
gitzer. Disp. de fœd. p. 14. seqq. Aphor. XI. seqq. Caussim. Polyhist. Symbol.
lib. III. Parabol. 54. Kipping. Antiquitat. Roman. libr. I. cap. XII. &
lib. II. cap. III.

§. 5.

Hæc cum ita se habeant, mirum profectò est, quò *Thomas Morus*,
vir aliàs verè insignis, in libro suo, quem inscribit *de regno Utopia*,
ad eas devenerit cogitationes, ut fœderum necessitatem atque uti-
litem impugnare non dubitarit. Cui fermè suffragari videtur
Richterus in axiomatibus suis. Quorum rationes in medium pro-
ferre superfluum foret, cum non modò infirmæ admodum sint,
verùm etiam sufficienter jam à *Besoldo in sæpè cit. Dissert. de fœd.*
jure refutata. Nec facile quenquam ipsorum subscripturum,

B 3

opinio-



opinionem, persuasum omninò nobis habemus. Progredimur potius ad illud, quod nostri est instituti & quid de quaestione proposita sentiendum, declaramus.

§. 6.

Et si igitur non pauci, iique; haud exiguae autoritatis viri, tam Theologi ex nostratibus partim, partim Pontificiis & Calvinianis, quam Jcti & Politici existant, qui acerrime negantem quaestionis propugnent, non pauciores tamen affirmativa agnoscit Patronos atque defensores. Amplectuntur enim eam ex Theologis Gerhardus in LL. suis Theologicis D. Megalander Luther. passim in scriptis suis, Brochm. System. Theolog. L. de Magistr. Polit. sect. IIX. Rivetus Comment. in Hof. c. V, 13. p. m. 197. seqq. Ex Jctis & Politicis Excellentiss. Dn. Alberti Disp. I. de quaest. An hereticis sit servanda fides? Besoldus Dissert. de foed. Jure c. IV. Limneus in Annot. ad Articul. XI. Capitul. Caroli V. Warem: de Ehrenb. in Meditam. pro foed. part. 1. cap. 2. Grotius ejusque; Commentatores, Zieglerus, Osiander, Feldens & Henniges, qui praeter ceteris hanc materiam prolixè tractavit, & eò omnes labores suos direxit, ut evinceret etiam contra fideles cum infidelibus foedus pangere esse licitum. Oldrad. Conf. 71. per totum. Carpzov. de Leg. Reg. Germ. c. VI. sect. III. & sect. IV. Joan. Andv. in addit. ad specul. rubr. de Judae. col. 3. vers. convertendo hunc casum. Martin. Laudens. in Tr. de bellò quaest. 3. Alber. l. 1. in fin. C. unde vi. Panorm. c. quod super num. 15. Joan. de Imol. Clement. 1. num. 14. Joan. de Anania c. ad liberandum col. 1. in fin. vers. nota quod non est licitum Christianis & ibi felin. num. 5. ext. de jud. Corset. in tr. de potest. reg. p. 4. princip. q. 88. num. 37. Aucharan. c. praesidentes. num. 3. de heret. lib. 6. & in Clement. 1. num. 13. de jurejur. Decian. conf. 20. per tot. lib. 3. aliique; longè plures.

§. 7.

Et jure quidem naturae ejusmodi foedera licita esse, nullum omninò suboriri posse videtur dubium, cum teste Grot. lib. II. cap. XV. §. 8. jus hoc naturae omnibus omninò hominibus ita sit commune, ut nullum religionis discrimen admittat. Imò juxta Grot. l. 3. de jure B. & P. c. 19. §. 2. extendit se hoc jus naturae etiam ad piratas, pestilentissimum illud hominum genus. Cum enim piratae per id, quod piratae sunt, homines esse non desinant, capaces quoque

quoque; juris erunt. Quod ex eò cōsumptum probavit ulterius *Ex-
cell: noster Dn. Alberti Disp. I. de fide hæreticis servanda §. 56.* Cui
sententiæ, jus nimirum naturæ nullum inter fideles & infideles
facere discrimen, subscribit quoque *Reink. de Regim: sec. & Eccl. l. 3.
de just. & jur.* huc accommodans atque asserens, quod inter omnes
homines tam fideles, quam infideles, tam hæreticos, quam sice-
ros & veræ religionis addictos natura cognationem quandam,
finxerit, quæ etiam cognatio, si in aliis, certè in pangendis fœderi-
bus potissimum obtinet, ita ut religionis diversitas non attenda-
tur. Non tamen jus naturæ nimis latè esse extendendum, ita
ut suo ambitu etiam complectatur atheos, & Deum prorsus ne-
gantes existimat *Magnif. Dn. Ziegler, in Grot: de J. B. & P. lib. II.
c. XV. §. 8.* addens, quod natura utique; ejusmodi homines abhorreat.
Quam tamen controversiam meam non fecerim. Potissima igitur
quæstionis pars eò redit, ut quærat: An jure divinò liceat fœ-
dus pangere cum dissentientibus à religione nostra? Nam cum
jus naturæ promiscuè fideles atque infideles spectet, necesse est il-
lud inquiramus jus, quod hæreticorum & orthodoxorum diverfi-
tatem admittit.

§. 8.

Nos affirmativam pro virili sumemus defendendam, non qui-
dem præcisè, ut nullas omninò distinctiones & limitationes admit-
tamus. Tam absurdus etenim non facilè erit quispiam, sed cum
hæc ad alteram potius pertineant quæstionem, hinc sanè erunt præter-
eundæ. Præmittemus autem ante omnia rationes pro affirmante
pugnantes, quæ cum variæ admodum sint atque permultæ, præcipuas
saltem hæc vice ex iis seligemus.

§. 9.

Prima ratio in ea posita est, quod *legitima sui defensio omni jure,
naturali, gentium & civili licita sit atque concessa.* *And. Gaill. de Pace
Publ. l. i. c. XVI. n. 10.*

Ratio est, quia vim vi expellere omnia jura permittant. *Gaill. cit.
l. c. XVI. n. 7.* Natura certè jure eandem esse concessam nemo faci-
lè negaverit. Nam si teste *Cicerone lib. 1. de Off.* omni generi ani-
mantium à naturâ tributum est, ut se, vitam corpusque; tueatur decli-
netque; omnia, quæ sibi nocitura videantur, certè multò magis homi-
num

num cordibus natura erit inscriptum, ut, si in vim hostium incidat, rationem expediendæ salutis defensione sui q̄erat. Quæ sanè defensio cum sit necessaria, peccato caret *Gaill. l. 1. c. II. n. 19. de P.P. Jure* quoq; gentium eadem erit licita. Si enim, quod *Hermogenes l. 1. Jur. Epitom.* inquit, ex jure gentium bella introducta, si fœdera idem jus pangere permittit, quod *supra §. 3. hujus cap.* probavimus, quid dicere prohibebit, etiam legitimam sui defensionem esse juris gentium, cum bella & fœdera hunc potissimum intendant finem. *Jure* quoq; civili eandem concessam esse Jcti probant. Testis est Jctus *Florentinus in lib. 1. Instit. de just. & jur.* disertis asserens verbis: Jure hoc evenit, ut quod quisq; ob tutelam corporis sui fecerit, jure fecisse existimetur. Verum hoc etiam observari, & hujusmodi quoque defensionem sui legitimam esse, si quando fœdus cum infideli pangitur, præsertim si contra tertium ineatur in fidelem, est in confesso. Dubitatur autem & à Politicis in controversiam vocatur, an pari ratione legitima quoque sit dicenda defensio, quâ in casu summæ necessitatis, & nullâ aliâ evadendi monstratâ occasione infidelium adhibitis auxiliis contra fideles fidelis alius injusto lacesitus bello militat. *Reink. in c. 1. de Regim. Sec. 5. Eccles. it. Bibl. Polic. l. 2. Ax. 204.* negativam tenet, & variis rationibus evincere studet, non posse concedi aut legitimam vocari hujusmodi defensionem, cum non fiat mediis legitimis. *Henniges in Grot:* Contrariam huic fovet sententiam, legitimamq; omninò mediisq; legitimis factam asserit, cum nullò jure eandem prohibitam reperiri certum sit. Dicta, quæ ex sacris *Reink.* pro affirmanda adstruendaq; opinione sua longâ serie recensita refutat. Nec contentus est singulari *Reinkingii* responsione eandemq; tanquam novam nec in ullò fundatam jure rejicit. Vid. *Hennig: in Grot, lib. II. c. XI. §. 10. p. m. 734. seq.* Nos controversiam hanc, cum hujus non sit loci, aliò rejicimus. Sufficit nunc nobis scire legitimam esse defensionem sui, si cum infidelibus ineatur fœdus, nec moratur nos aut obstat, si vel certissimis demonstrationibus probetur, non licere contra fideles alios infidelium uti auxilio.

§. 10.

Altera, cui affirmativa innititur, ratio desumpta est ab exemplo *DEI* h. ferè m. quia ipse Deus in ulciscendis Judæorum iniquitati-

qvitatibus, infidelium ministerio est usus. Usus namque est ad vindicanda peccata Israëliitarum infideli Babyloniorum Monarcha Nebucadnezare, qui ipsorum terras desolatus in regnum suum abduxit captivos. Usus eodem Rege est adversus non paucas gentes profanas, ut hęc ratione indomitos ipsorum animos compesceret & in officio contineret. Usus est ad excindendam urbem Hierosolymitanam Vespasiano Romanorum eã tempestate Imperatore Ethnico. Quod ipse à veri licet DEI cognitione alienus agnovit, dum ab Ægyptiis in transitu oblatas coronas triumphales repudiavit, dicens: *Ego hoc non effeci, sed Deo irato populum suum ob iniquitates gravissimas punire volenti manus meas commodavi.* Quod refert ex *Suida Matth. Theatr. Hist. Mon. IV. in vita Imper. T. Vespas.* Alia exempla, quę in sacra non secus ac profanis historiis passim sunt obvia, lubens prætereo. Sed obstare videtur huic rationi, quod etiam contrarię partis fautores urgent: Deum multa agere jure dominii eminentis & potestatis (si ita loqui licuerit) absolutissimę, quę in omnes res creatas obtinet, quę homines nec imitari possunt nec debent. Verum cum hęc actiones DEI ne externę quidem oculis nostris videantur vitiosę, nec propter solum agentem actioni justitia concilietur, sed alię non pauca eęque firmissimę de rectitudine illarum loquantur rationes, tutõ eas imitari poterimus. Quod latius diducit laud. *Hennig, in Grot. p. m. 735. & 736.*

§. II.

Tertia ratio desumi solet à *majori*. Si enim hostes insidiis & dolo propulsare fas est, multõ minus prohiberi poterit, ad salutem Patrię vel Reipubl. tuendam aut alium finem necessarium obtinendum implorare auxilia infidelium. Sed hęc ratio, cum non adeõ firma sit nec directę thesin nostram probet, defendendę illi, nihil est, quod diutius immorer. Negari tamen non potest, minus sufficienter à contrarię sententię asseclis responderi distingvendo inter dolum bonum & malum. Quam distinctionem postmodum hoc modo applicant, licere quidem dolo bono hostem propulsare, non item malo. Nondum enim extra omnem controversiam positum est, dolum hunc (si ita nominare omninõ fas fuerit) si quis fœdere cum infidelibus, præsertim durissimo necessitatis telo urgente, inuito ab hoste se defendat, esse malum, non bonum.

C

§. 12.

§. 12.

Sequitur argumentum quartum, quod plerumque desumere solent à contrariis. Contrariorum namque eadem est ratio, ut Philosophi loquuntur. Jam v. fideles possunt in justò bellò succurrere infidelibus t. Julianus 11. q. 3. quid itaque prohibebit, quò minus etiam infideles vicissim auxiliari queant fidelibus? Quin imò lex talionis exigere planè hoc ipsum videtur. Subjungo nil moratus quintum, depromptum *ex natura finis*. Cujuscunque enim actionis finis bonus est, illa ipsa quoque bona censetur, imò media ad finem illum bonù ducentia non sunt illicita. Sextum, quod vulgò afferri solet, fundatur in *effectu* hujusmodi fœderum bono, qui plerumque solet esse dissensio infidelium, ex quâ dein hic fidelibus utilissimus resultat effectus, ut eò tranquillius & felicius vivere queant. Nos argumenta hæc tria probanda non suscipimus, cum nihil quicquam universaliter probent, sed probabilibus saltim innixa sint principiis, nec omni careant controversia. §. 13.

Progredimur itaque ad rationem septimam, quæ in *Scriptura S.* fundamentum suum habet, quippe quæ per plurima piorum continet exempla, qui fœdera cum infidelibus atque profanis pepigerunt, nec ea de causa unquam à Deo leguntur reprehensi aut puniti, nisi forte aliqua fœderibus illis adjuncta fuerit qualitas, quæ vitii aliquid intulerit moralis. *Primum* fidelis cum infideli *exemplum* ex sacro petito codice habetur *Gen. XIV.* ubi Abraham introducit fœdus pangens cum Aner & Eschkol. *Alterius* mentio fit *Gen. XXI.* ejusdemque Abrahami cum Philisthæorum Rege Abimelech confœderationem adducit. Verum utrumque horum exemplorum minime sufficiens erit, firmiter adstruendæ sententiæ nostræ affirmanti. Nondum enim extra omne dubium est positum, confœderatos hosce Abrahami fuisse infideles. *Præ* exemplum quod attinet, probari posse videtur, Aner & Eschkol fuisse ejusdem cum Abrahamo religionis, quia tam benefici & liberales erga Abrahamum fuerunt, quod vix factum fuisse videtur, si ab Abrahami fide alieni fuissent. De posteriori minor adhuc relicta est dubitatio cum teste *Osiand. in Grot. c. XV. ad Thes. VIII. & IX. Obs. I.* certum propè sit, Abimelechum fuisse fidelem. Quod probatur non tantum ex eo, quia Abrahamus ab Abimelecho reprehensus, quod negaverit, Saram esse uxorem suam,

am; respondit quasi perturbatus & dubitabundus: *Quia dixi* (cogitavi) *verè non esse timorem Jehovah in loco hoc Gen. XX, 11.* Sed etiam confirmare id ipsum videntur sermones Abimelechi in pangendis fœderibus adhibiti, ex quibus non obscure constare videtur, eum fuisse cum Abrahamo vero DEI cultui addictum. *Reink. Bibl. Polic. lib. II. Axiom. 204 p. 438.* Unde Patres conspirant quasi in hoc, Abimelech fuisse fidelem, quod *Ambros. l. I. de Abrah. c. 7. & ex Theodoro à Lippomanno in catena Patrum citato Osiand. cit. l.* asserunt. Quibus etiam assentiuntur *Lutherus, Pareus* aliiqve Theologorum tum nostratum, tum aliorum. Producenda itaque erunt alia ex scripturis exempla, quæ plus momenti ad thesin nostram confirmandam afferant. Tale expressum habemus in Patriarcha Jacobo, cum Labane (quem idololatram fuisse nemo facile negaverit, cum abundè id constet ex sermone ad Jacobum, quò incusat eum furti, dicens: *Quid fecisti? quod cor meum sis furatus?* intelligens idola sua, quæ Rahel filia ejus secum abstulerat. *Gen. XXXI, 26.*) socero suo fœdus ineunte *Gen. XXXI. 43.* Exemplum *Davidis*, quod recensetur *2. Sam. XXVII. XXIX.* difficultatis plus habet. Is namque ab impio Israëliitarum Rege Saul persecutionem passus gravissimam alienorum opem implorare cogebatur. Hinc ad infidelem Philisthæorum Regem Achis confugit, à quo etiam nulla mora in societatem atque amicitiam est receptus. Pro quo David gratum testaturus animum, paratum se fore promisit cum Achis adversus Israelem, populum fidelem, & cognatione junctum belligerare & prælium committere. Dubium enim est, an in hoc peccaverit David, an minus, præsertim cum Scriptura taceat, probatumne Deo fœdus hoc fuerit nec ne. Dubitari insuper potest, an seriò voluerit auxilio esse Regi Philisthæorum adversus Israëlitas. Quod dubium movit consiliarios præputiati hujus, ut Davidi non satisfidentes hoc fœdus Regi unanimi pene consensu dissvaserint. Quod quin ex singulari Dei providentia atque directione factum sit, nihil est, quod vocemus in dubium. Per istos namque Principes DEUS consuluit Davidi, ne quid à pietate ac justitia remotum faceret. *Genril. de J. B. lib. III. p. m. 655.* Alia exempla, quæ sacra nobis suppeditat Scriptura, utpote *Assa cum Benhadad* Assyriorum Monarcha, *Achas cum Tiglat Pileser* Assyriæ Rege, *Josaphati* cum idololatra *Achabo*, iniuncta fœdera, quia non ad confirmandam, sed destruendam potius nostram faciunt sententiam, cum gravissima Dei ira atque comminatio sit

tio sit subsecuta, lubens prætermitto. Restat ex iis, quæ aliquam habent difficultatem, fœderibus exemplum *Maccabeorum* conjungentium se fœdere cum *Nabathæis* contra paganos alios. *1. Maccab. V. 25. seqq.* Legationem iidem mittebant Romam ad ineundum fœdus cum *Romanis* contra hostes suos quoscunque *c. IX.* Pariter iidem *Spartanorum* erant Socii *c. XII.* & *Demetrio* non secus ac *Antiocho Alexandri* filio mutua præstabant auxilia. *c. XI.* de quibus fœderibus omnibus & singulis, quid sentiendū sit, an probanda, an improbanda nihil est, ut simus prolixi. Relinquimus decidendā hanc quæstionem Theologis atq; Politicis prudentioribus, quippe quorum non pauci in hac materia eruenda multum operæ collocarunt. Nos, cum textus nihil certi determinet, pro nostri imbecillitate ingenii, impares omninò erimus alterutri eligendæ sententiæ, certisqve & indubitatis demonstrandæ ratiociniis. Videantur de ea *Ostander in Grot. lib. II. c. XV. Th VIII. & IX. Observ. V. Reink. Bibl. Polic. l. II. axiom. 204. p. m. 439. & 440. Alber. Gent. de J. B. l. III. c. XIX. p. m. 655.*

§. 14.

Superfunt alia perplurima argumenta, quæ ad confirmandam partem affirmantem ab ejus defensoribus in medium plerumqve proferri solent. Verum cum parum vel nihil omninò ad nostrum faciant institutum, brevitatis habituri rationem, omnia atqve singula, quæ superesse videri poterunt, sicco, quod ajunt, præteribo sicco, contemplaturus paucis adhuc alteram quæstionem, quæ & cum quibus infidelium fœdera inire liceat?

CAP. IV.

De iis, quæ circa fœdera cum infidelibus observanda veniunt.

§. 1.

SEquitur in ordine spectanda nunc altera quæstio, quæ & quibus cum infidelibus fœdera pangere sit concessum? Ubi præsertim ratio erit habenda superius allatarum distinctionum, ut earum utilitas atqve necessitas eò major appareat. Quas proin melioris ordinis ergo ad certa accommodaturi sumus porismata.

§. 2. Fœ-

§. 2. **Fœdera commerciorum cum infidelibus sunt licita.** *Porisma 2.*

Sunt enim commercia juris gentium *Besold. c. 4. §. 2.* Cum verò non omnes gentes veræ religioni addictæ sint, facile patet, etiam ad infideles hoc juris pertinere. Quin suppetunt in ipsis scripturis sanctis exempla non pauca piorum Israëlitarum, qui hujusmodi fœdera cum infidelibus sanxerunt. Tale fœdus intercessit inter Regem Israëlitarum *Salomonem* & infidelem Tyrionum Monarcham *Hiram*, cujus mentio fit *1. Reg. V. 12. 2. Chron. II. & VIII.* Hujusmodi fœdus quoque inire licitum erat Israëlitis cum aliis gentilibus exceptis septem Cananæorum populis, quas Deus ex justâ vindictâ hac societate volebat exclusos, licet postmodum proprio jure Judæorum interveniente, eò absurditatis sint prolapsi, ut omnimodâ gentilium, qui Judaicæ se non addicerent religioni, non solum consuetudinem, societatem ac familiare consortium, sed etiam contractuum commerciorumque genera quamplurima interdixerint. Ea enim tantum permittebantur comœrcia cum paganis, populo Judaico, quæ nec gentiliû cultui extraneo adjumento nec libertati Israëliticæ aut cultui eorum sacro esset detrimento. Imo quod longe majus est, gentiles omnes pro immundis, qui solo contactu Judæos contaminarent, habendos esse censuerunt. Quibus paganis hac quidem ex parte etiam annumerarunt Samaritanos, quippe quam gentem æque habebant invisam ac ipsos ethnicos nec commercia cum illis concedebant. Quod innuit mulier samaritana ad Christum dicens: *ἡ συγγενὴς ἡμεῶν*, non co-utuntur Judæi Samaritanis, quod Syrus transtulit *לֹא יִתְחַשְׁבִּין סַמְרִיטָיִם* non habent comœrcium, quam tamen superstitionem Judæorum impugnat Petrus *Act. X 28.* Vos scitis, quo modo abominatum sit Judæo viro adhaerescere vel advenire ad alienigenâ: *ἀλλοφύλω* extat in fontibus græcis, quod Syrus interpretatus est: *לֹא יִתְחַשְׁבִּין סַמְרִיטָיִם לְאִישׁ אֲחֵרִים* ad hominem extraneum qui non sit filius generationis suæ. Vid. prolixè de his omnibus *Seld. de Jur. N. & G. l. 2. c. V. p. m. 175. seqq.* Hujusmodi quoque fœdus à Christianis principibus atque magistratibus cum infidelibus tum olim initum est, tum hodie salvâ conscientiam omniqve jure conservatur; Et cum idem hoc non inviti nobis largiantur illi, qui alias fœdera cum infidelibus iniri nolunt. *(vid. Alber. Gent. de J. B. l. III. c. 19. p. m. 657. Reinking Biblische Po-licey*

licey p. m. 440.) nihil est, ut probando diutius immoremur. Hoc tamen probe observandum, ut foedera commerciorum intra ambitum aetuis cujusdam mere politici maneant nec condiciones illis ejusmodi sint admixtae, quae religioni Christianae detrimenti aliquid afferant, aut afferre possint?

Porisma II.

§. 3.
Foedera de non offendendo seu mutuae securitatis cum infidelibus inita culpari nequaquam possunt.

Sunt enim haec foedera maxime in pace publica inviolabili servanda fundata. Talia foedera Israelitis quoque cum Ethnicis colere licebat, exclusis septem gentibus, quas Deus inter Israelitas habitare volebat, quia in idololatria constantes persistebant nec amicas populi Dei, regiones ipsorum transeuntis, legationes audire volebant. Quae de causa factum, ut solos Haevaeos & Gibeonitas in foedus reciperent Israelitae, reliqui autem ob *εκληρονομίαν* suam internecone delerentur, qui cum istis pari conditione futuri fuissent, nisi belli fortunam tentare, quam in pacem consentire maluerint. Huc enim spectabat lex Dei *Deut. 20, 10. seqq.* ex qua patet, non absolutam & simpliciter intelligendam fuisse legem illam de excindendis septem populis (quod tamen contendit *Alber. Gent. de J. B. l. III. p. 653.*) sed ad certas & jamjam memoratas non deditiois & in idololatria perseverantiae restrictam condiciones *Osiandr. in Grot. c. XV. §. 8. & 9. obs. III.* Tale inquit Jacob cum socero suo Laban *Gen. XXXI*, Tale quoque Imperatores Romani non pauci cum Turca pepigerunt. Tale etiam Leopoldus noster cum eodem servat ea saltem de causa, ut pax publica nomini Christiano intacta inviolataque servetur *Reinking Bibl. Polit. l. 2. p. m. 437.* Et haec foedera quis non licita esse lubens concedat? Si enim in id potissimum est incumbendum, ut in pace publica foedera sint fundata *Warem. l. 1. c. II. n. 237.*; Certè nullum excogitari poterit foedus, quod hunc finem magis intendat. Ad hoc ipsa scriptura hortatur *Rom. XII, 18. & Hebr. XII, 14.* Si fieri potest pacem cum omnibus colite; pacem sequimini cum omnibus. Nec facile quenquam Christianorum adeo existimo fore rigidum, qui foedera hujusmodi improbet. Nam illi etiam ad unum ferme omnes, qui foedera bellica cum infidelibus ineunda negant, haec esse concessa, non obscuro

obscure affirmant. Nec id immerito: Si etenim ejusmodi interdican- tur foedera, exeundum nobis plane erit e mundo: quod quam impossibile, tam absurdum ex adverso hac prohibere foedera.

§. 4.

Porisma III.

Fœdus religionis cum infidelibus non est licitum.

Quæ enim conventio Christi ad Belial? Quæ societas luci ad tenebras aut quæ pars fidei cum infidele &c: verba sunt Pauli 2. Cor. VI, 14. Homo enim cum natura à labore ad libidinem, à bono ad malum sit proclivis, facile contactu improborum inquinetur eorumq; societate polluitur. Hinc non immerito omnes verè Christiani unânimi consensu affirmant: neminem posse conscientia illæsa eandem cum idololatriis infidelibusq; aliis profiteri fidem. Non paucitamen sunt, quibus religio non est, externa infidelium sacra frequentare, cultum eorum superstitiosum concelebrare atq; ita cum eorum impietate communicare, frivole jactitantes fidem internam in cordibus occultam. Quò prætextu plerumq; abuti solent peregrinantes, qui exteras papatu vel infidelitate alia infectas regiones peragrantes cum superstitioso illorum cultu communicare non dubitant. Quas nequaquam purgant variæ excusationes, quas ad hanc adiaphoriam probandam in medium proferre solent; Quas longo ordine recensitas refutat Rivetus *Comment. in Ps. XVI, p. m. 53. seqq.* Superstitiosi nimis erant Judæi, qui gentiles omnes tam habebant immundos, ut vel solo inquinare contactu existimarent. Vid. *supra §. præc.* Quam vero largi sunt ii, qui non tantum commercia, sed etiam sacrorum & religionis communionem cum infidelibus concedunt? Medium itaque tenere beati. Quare nos non absolute omnia fidelium cum infidelibus foedera vituperamus, reprehensionem tamen nostram incurrun- tur illa, quæ religionis commixtionem quodammodo sapiunt & largiuntur. Eleganter Rivetus c. l. *Ex medicorum consilio, si contagiosus morbus urbem aliquam aut domum infecerit, ad tales egrotos non libenter accedimus, ne simili etiam morbo corripiamur. Quare circumspectius sunt adeundi, qui spirituali contagio infecti sunt, quod facile nobis adfricari potest familiari conversatione?* Consortia igitur idololatrarum familiaria nimis vitemus necesse est. Israelitis tam variè gravissimis adhibitis comminationibus per Prophetas ethnicorum

corum interdicébatuꝛ consortiuꝛ, qvía hic præ cæteris populus
ad idololatriam erat proclivis. Testem citasse sufficiat unicum li-
brum Judicum. Nos igitur etiam infidelium fugiamus societatem
nimis familiarem, præsertim si in fide non adeò simus certi, ne idolo-
latriæ qvøq; ipsorum nos reddamus participes.

§. 5.

Porisma IV. Fœdus cum manifestè impiis non facilè est ineundum,
nec nisi in extremò necessitatis casu venia ei ulla
inter Christianos concedenda.

Loqvor de fœdere bellico, sed merè tamen defensivò. (Fœdus
enim beneficum & commerciorum etiam citra necessitatis casum
cum iis pangi potest.) Nam nisi gravissima urgeat nos necessitas,
malum omninò hujus modi erit fœdus & maximè periculosum, cum
teste *Leunclavio l. 1. Hist. Musulm & in pand. Turc.* Turcæ (de his
speciatim loquenti venia sit) nullo fœdere adeò obstringantur, qvín
permittente eorum Alcorano, ubi id è re sua visum fuerit, inde rece-
dere qveant. Sed nihil obstabit periculum, qvò minus idcirco fœ-
dus cum Turcís aut infidelibus aliis licitum esse qveat. *Tarn. c.*
Tr. Fœdera ejusmodi omninò improbanda esse censet, idq; probat ex
eò, qvòd causa efficiens proxima, objectum, forma & finis eorum sint
mali. Et ex hoc postmodum concludit, non posse non etiam ipsa
fœdera esse mala. Verùm cum ipsius probationes non adeò firmo
confistant talo, parum obstare nobis poterunt.

§. 6.

Porisma V. Fœdera cum hæreticis pacta improbari non pos-
sunt.

Qvis enim improbabit fœdera politica cum Pontificiis & Cal-
vinianis, cum in medio ipsorum nobis sit vivendum? Et si cum Paga-
nis inire ea licet, qvòd probatum §. præc. qvò magis cum hæ-
reticis? Nec minus fœdera bellica & præsertim defensiva cum hæ-
reticis iniri poterunt. Præprimis verò si adversus communem
Christianorum hostem Turcam bellum gerendum est, laudandum
sanè, si omnes Christiani principes conjunctis viribus, omnibusq;
sepositis controversiis pro Christianâ religione conservandâ & de-
fendendâ salute communi militent. Nimis rigidi ergò videntur
esse illi, qvi ob fidem hæreticis non servandam, qvòd Pontificii in

Conci-

Concilio Constantiensi Anno 1414. habito præceperunt, *Conf. Gvico. 8. hist.* non magis tutò cum Papâ ac cum Turcâ fœdus iniri contendunt. *Molin. in Tract. contra parvas datas ad SC. Francie.* Etsi n. multos inter Pontifices Pontificiosq; impia hæc sententia habeat defensores, fuerunt tamen & sunt adhuc in numero Pontificum & Pontificiorum boni, probi & pii viri, ut *Joh. Strom.* scribit in prologo *sagato Tract. de bello Turc. rectè administrando.* Idem & de Calvinianis sentiendum. Cum his enim non minus ac cum Pontificiis pacem colendam, nemo erit, qui abneget. Cautione tamen hic opus est maximâ, ne pax politica cum ecclesiastica & religionis pace confundatur; quod ut multis declarem, supervacaneum erit. Vid. *Carpz. de lege reg: Germ: c. 6. sect. 4.*

§. 7.

Fœdus cum infidelibus adversus infideles est licitum.

Porisma VI.

Quin imò maxime utile & reipubl. salutare. Unde *Joh. Sturm.* in lib. de administran. bell: Turc: Imperatori svadet, ut perpetuum fœdus cum Persarum Rege contra Turcâ contrahatur. *Justinianus* quoq; Imperator apertè profitetur, lætari se, quòd pacem perpetuam cum Rege Persarum inierit. l. 2. C. de off. præf. præf. Defensivum tantum intelligo fœdus. De hoc enim potissimum tota loquitur quæstio. Offensivum namq; etiam contra infideles vix salvâ cruscientia iniri posse putat *Besold. de fœd. jure. §. 3. c. 2.*

§. 8.

Fœdus cum infidelibus adversus fideles non facile est ineundum, iniri tamen in extremo necessitatis casu potest.

Porisma VII.

Quo nomine non immeritò ab Henniges aliisq; Politicis excusantur Veneti, qui à Rom. Imperatore, Rege Franciæ, Julio Pontifice aliisq; Italiæ Principibus bello infestati Turcarum auxilia implorarunt, & in exercitu suo copias ex Turcis collectas habuerunt. Eadem necessitas gravissima, quæ Fridericum Regni Neopolitani Principem adegit ad fœdus armorum cum Turcis contra Gallos ineundum, vindicare à contumeliis & contumeliis poterit. Deserebatur enim tunc Princeps ille ab omnibus, imo ab ipso Hispanorum Monarcha, consanguineo licet suo, turpissime deceptum se sentiebat,

D

bat,

bat, nec ullam intra regni sui viscera evadendi occasionem habebat
Henniges in Grotium l. 2. c. 15. §. 10. Non tamen idcirco licitum erit
Christianis, levi aliqua de causa infidelium auxilia adversus fideles
implorare, multo minus offensivum foedus adversus fideles cum
infidelibus pangere. Quare omnium merito piorum reprehensio-
nem incurrunt Franciscus I. & Henricus II. Gallorum Reges, qui
nulla eos urgente necessitate ex mera invidia, cupiditate vindictae,
& proprii commodi ergo foedus bellicum non defensivum tantum,
sed & offensivum cum infensissimo Christiani nominis hoste, Impe-
ratore Turcico inierunt adversus Germanorum Imperatorem Caro-
lum V. De Henrico II. idipsum abunde testatur formula juramen-
ti, quo se Solimanno obstrinxit: *Zeh schwere und gelobe/das ich alles/
was mir bewußt ist/ und bewußt werden mag/ dem allerhöchsten Sultan
dem Türckischen Kaysar offenbahren und entdecken will / dessen Reich
Gott bestätigen und bekräftigen wolle; Zeh will derer/ so Freund-
schafft mit ihm halten/ Freund seyn/ und seiner Widersacher Feind &c.*
cujus juramenti ex *Domin. Arum. ad aur. Bull: Discurr. 6. c. 15. th. 7.*
meminit *Carpzov. del. Reg. Germ. c. 6. sect. 3. num. 21.* De Francisco
I. autem memoratur, ipsum in agone mortis constitutum ferio foedus
hoc ex mera vindicta & invidia initum doluisse, dum lamentabi-
li hac usus querela: *perii, heu perii, quod volui esse foederatus ei, qui ho-
stis est Christiani nominis!* & Cardinali Gvilio solatium ex
fontibus sacris suggerenti desperabundus quasi respondit:
*omnis misericordiamibi clausa est, qui ut vel emuli mei glori-
am infuscarem, vel vindicarem injuriam, foedus pepigi cum Turca,*
& *Christianorum capita tanquam armenta ad Mahometanam servitu-
tem vivus vidensq, passus sum abigi Schönborn. l. 4. Polit. c. 36. Carpz.*
l. c. Talia utiq; foedera a piis omnibus improbantur, licet non pauci
hoc largiantur, ex necessitate cum infidelibus adversus fideles inita
posse concedi. Et jure quidem naturae ea non improbari nemo
facile negaverit. vid. *cap. preced. §. 4.* Non parum tamen dubitatur,
an jure divino eadem sint licita? Reinking. & Tarn. II. cc. omnino il-
licita ea esse disertè statuunt. A quibus in contrarium eunt *Limnaeus,*
Henniges & Besoldus, qui etiam foedus cum infidelibus adversus fi-
deles licitum esse contendunt. Ratio *Limnaei* potissima est, quia
nullus in toto sacro codice continetur locus, qui omnino & sine omni
exceptione illa prohibeat. *Lim. Annot. ad Art. XI. capitul. Carol. V.*
num. 11.

§. 9. *Porisma*
Fœdus ex necessitate initum cum infidelibus improbari
omninò non potest. *IIX.*

De quo cum pauca jam præced. porism. delibaverim, nihil est,
ut hîc sim prolixior. Hoc notasse sufficiat, non obstare thesi huic
objectionem eorum, qui adversam nobis fœvent sententiam, illud,
quod per se illicitum & malum est, nullo respectu aut modo licitum
aut bonum reddi posse. Hanc si fœderi cum infidelibus accommo-
demus, probandum erit adhuc, fœdus hujusmodi illicitum aut ma-
lum esse. Nos contrarium statuimus, afferentes, illud per se improbari
non posse, sed *indifferens* aliquid esse, quod ex adjuncta qualitate red-
di potest licitum aut illicitum, bonum vel vitiosum.

§. 10. *Porisma*
Fœdus cum infidelibus absolutè spectatum est con-
cessum. *IX.*

Huic probando ut multum insumamus operæ, abs re fore exi-
stimamus, cum non solum maximè sit perspicuum, verum etiam o-
mnis noster labor ad illius probationem fuerit directus.

§. 11.
Plura alia ex supra allatis distinctionibus scopo nostro inservi-
tura adduci possent porismata, quæ tamen brevitatis habentes ratio-
nem hâc vice prætermitemus.

§. 12.
Antequam verò opellæ huic nostræ extremam imponamus ma-
num, *requisita nonnulla & cautelas* circa fœdera cum infidelibus
probè attendendas adjicere lubet, ut eò simus certiores, quod &
quibus cum infidelibus fœdus potissimum sit ineundum. Requiritur
autem *1. cause equitas & bonitas*. Non parum enim ad justitiæ fœ-
deris demonstrandam adfert momenti, si causa impulsiva & finis, cu-
jus gratia fœdus est vel fit, sit legitimus. Hoc enim nisi ante omnia
animadverterimus, fœdus ipsum quoque illegitimum planè erit & il-
licitum. *2. Necessitas*. Undè *Gentilis de J. B. & P. l. 1. c. 3.* concludit,
bellum justum esse non posse si necessitas non subsit. *conf. §. 9.* *3. Po-*
tentia. Hinc *Hadrianus* monet, in caducum parietem non esse in-
clinandum. Potentes igitur quærendi socii & divites: Quia impo-
tentia & egestas firmissimas etiam societates sæpè dirimit. *4. Volun-*
tatis

statum similitudo & equalitas. Nam ubi contrariae sibiqve invicem adversae sunt voluntates, ibi diversae quoque suscipiantur actiones necesse est. Sunt namque hujusmodi confederationes tanquam murus sine calce, qui nullo diruitur negotio. 5. *Animorum curatio & inquisitio.* Probè igitur in id incumbendum, ut certi simus, quomodo in nos ii, quos in societatem sumus recepturi, sint animati, qualesqve erga alios confederatos se gesserint. Non enim cum invitis, non cum temerariis, non cum levibus & ventosis, non cum ferocibus, non cum tyrannis, non cum proprium commodum quarentibus, non cum Sodomitis, non cum perfidis foedera facile ineunda. Sunt enim omnia hujusmodi foedera periculosa valdè & fractu facillima. 6. *Vicinitas.* Nunquam enim stabile & diuturnum, quod à remotissimis promittitur animis teste *Diodoro Siculo l. 20. Justin, l. 22.* Et quantum bonum sint vicini boni, non latuit Themistoclem, qui villam venditurus hoc laudibus illius fecit accessionis, quod vicinos haberet bonos. Ex adverso verò procul qui habitant amici, non amici. 7. *Rancorum & simultatum ex animis ejectio.* Undè *Musculus in cap. XXI. Genes.* sedulo hortatur Principes, ut foedus iniri, si quid rancoris lateat in cordibus, moderatis expostulationibus id ejiciant. Quomodo enim firma erit animorum conjunctio, ubi suspiciones variae dominium obtinent?

§. 13.

Alia praeterea requisita & cautelas non paucas in pangendo foedere cum infidelibus observandas in medium proferre possemus. Sed cum temporis & instituti nostri ratio id ipsum prohibeat, filum hic abrumpo. Faveat interea benevolus lector ausis nostris juvenilibus, & haec levi penicillo, exercitii gratia, non pro dignitate materiae adumbrata æqui boniq; consulat.

SOLI DEO GLORIA.


ULB Halle
006 682 26X


3



1077







4676, 15 *M*

POLITICA

RIBUS

ELIBUS,

TE

RUM AUCTORE.

TE

PHILOSOPH.

e eruditorum

ojiciet

LIPSIENSI

ermanorum

S

S LYSERUS,

ENS

MUS LYSERUS,

es.

DC LXXVI.

Æ,

TTIGAU.

3 1/2

9

